



PALAESTRA LATINA

SUMMARIUM

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?	MOLINA
De Sappho poëtria,	ORTH
Schola	SARMIENTO
Commercium epistulare	
Nova et Vetera,	MIR
Infantis Jesu, jacentis in praesepio et Sororis Teresiae, adhuc Tirocinium agentis colloquium	URQUIOLA
Beatam Me Dicent Omnes Generationes	MARCOS
Palaestra Exercitatoria,	NOGUÉS
Epistolia soluta	
Bibliographia,	TRISTANIUS
A una fuente,	CHAMORRO
Exercitationes Scholares,	GIRALT
	MARTÍN
	GARCÍA

Ordinarii et Superiorum permissu

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?

(TIBUL., ELEG. X)

¿Quién fué el primero en forjar las horrendas espadas?
¡Pecho de fiera y de bronce tendría el menguado!
Vino de entonces la ruina y la guerra a los hombres
Y de la muerte cruel abrevióse el camino...
No delinquiró el miserable, que en mal nuestro tornamos
Lo que nos dió por defensa de bestias feroces.
Culpa es del oro precioso; no había combates
Cuando se alzaba en la mesa la copa de haya.
No había torres ni fuertes, seguro dormía.
Todo pastor entre ovejas de tintes variados.
¡Dulce vivir! De armas tristes sabido no hubiera
Ni la trompeta escuchado con brincos el pecho...
Llévanme ahora a la guerra y algún enemigo
Vibra quizás ya el venablo que hienda mi cuerpo.
¡Oh Patrios Lares, guardadme como me guardasteis
Cuando de niño corría delante vuestra ara!
No os avergüence que en vieja madera os tallasen;
No de otra suerte habitasteis con nuestros abuelos...
Fe más sincera la suya, que daba paupérrimo
Culto a los dioses de leño en exigua hornacina,
Los aplacaban libando dulcísimo vino,
O a sus cabezas ciñendó manojos de espigas.
Quien en su ruego era oído, llevábales tortas
Y a zaga, su niña panal de purísima miel.
Lejos de mí echad, oh Lares, los dardos bronceíneos
Y de mi piara un lechón os ofrezco en don rústico,
Que he de seguir con mi cándida veste, llevando
Cestos con mirto y de mirto diadema en la frente...
Ojalá así os agradare: sea otro en las armas
Fuerte con Marte y debele contrarios caudillos.
Básteme pueda el guerrero sus gestas contarme,
Los campamentos pintando con vino en la mesa.
¡Qué gran locura llamar en la guerra a la muerte!
¡Si ella acecha y se llega con paso furtivo!
No hay allá abajo ni mieses ni viña en cultivo,
Sino el Cerbero y el torpe marino de Estigia;
Con las mejillas cavadas y ardido el cabello
Vaga en las sombras del lago la pálida turba.
¡Cuánto más digno de loa es aquél que en humilde

PALAESTRA LATINA

Pretium subnotationis annuae, solutione antelata, est 15 pesetarum in Hispania et Lusitania, 16 pes. in America et Philippinis insulis, et 17 pes. in reliquis civitatibus - Pretium mittatur oportet ad Administratorem, Lauria, 5 - Barcinone - Apart. 1049

De Sappho poëtria

Auctor libelli «de sublimitate» (περὶ ὑψους) profert partem carminis poëtriae Lesbicae, cui nomen «Sappho» (=virgo docta) est. In capite 10,2 illius tractatus rhetorici (*Rhetores Graeci* I [Lipsiae 1894] p. 124,4 ed. C. HAMMER) exstant versus, ubi artifex poëtica, animi affectibus abundans, effectus passionis hoc modo extatico describit: Sudor super corpus meum effunditur; tremor me totam capessit; herbis luridior sum; paene perisse videor.

Ultima linea post φαίνομαι mutilata rationi metricae obest, quamquam una tantum syllaba ad versum complendum deest, quae adhuc nondum inventa erat.

Sappho sociam vel amicam appellare et vocabulo quodam proprio hanc puellam dilectam indicare videtur; hujus desiderati vocabuli prima pars in extremo verbo ΦΑΙΝΟΜΑΙ conservatur: nempe in -AI finali. Scripserat poëtria ipsa hoc continuo modo: φαίνομαίτις.

Scriba vero quidam illud -τις omiserat et φαίνομαι reliquerat, propterea quod istud pronomem (τις) pedestre seu *prosaicum* esse neque ad colorem sensumque poëticum quadrare opinabatur; sed erravit. Sine dubio autem τις ad φαίνομαι adjungendum, deinde scriptio continua ita discernenda est, ut duo diversa vocabula recuperentur: φαίνομι' et αἴτις (cujus primum iota ī longum est). αἴτις nihil aliud significat nisi illam puellam a Sappho dilectam; ostendit haec vox feminina generaliter «virginem amatam», cum αἴτας (vel αἴτης) masculini generis vocabulum «juvenem dilectum» notet. De nomine appellativo αἴτις referunt:

1. *Joannis Zonarae lexicon*, ed. I. A. H. Tittmann (Lipsiae 1808) 74.

2. THEODORUS BERGK: *Poëtae lyrici Graeci* (Lipsiae) vol. III p. 73 nr. 125, ubi Herodianus grammaticus testis laudatur. Jam Hipponax poëta, aetate antecedens Sapphonem, αἴτις voce usus est.

3. UDALRICUS DE WILAMOWITZ-MOELLENDORFF: *Zum Lexicon des Photios* (Berolini 1907) 2 (de voce αἴτας).

4. LIDDELL-SCOTT: *A Greek English Lexicon* (Oxoniae 1925) 44.

Laudatus igitur ille versus Sapphicus post tot curas erroneas tandem salvatus et in veram formam redactus est ita sonans: φαίνομι', αἴτις (videor, o virgo dilecta).

Duos alios locos in eodem libello emendare possum:

Cap. 38 initio scribendum esse credo:

< οὐκ εὐπλα > στοι καὶ αἱ τοιαῦται λέξεις.

Nam adjectivum duabus terminationibus desinens in -στοι positivus, non autem superlativus esse potest; agitur hoc loco de vocabulis non pulchre formati, ut e serie verborum elucet.

Cap. 44, 9 scriptum videmus πρὸς τῆς... deest autem substantivum ipsum post articulum τῆς; ex cursu sententiarum intellegitur de luxuria sermonem esse ἀπληστία bene ad locum sese habere videtur, quae vox significat «insatiabilitatem».

Ergo scribamus hoc modo: πρὸς τῆς <ἀπληστίας> ἡνδραποδισμένοι.

EMIL ORTH

SCHOLA

ARMA SCHOLASTICA

<i>atlas</i> , tabulae, arum, f. pl.	<i>falsilla</i> , regula lineata.
<i>borrador</i> , adversaria, orum, n. pl.	<i>fecha</i> , dies, ei, m.
<i>borrón</i> , litura, ae, f.	<i>franqueo concertado</i> , cursus stipulatus, m.
<i>carpeta</i> , chartularium, ii, n.	<i>goma (de borrar)</i> , deletile, is, n.
<i>carta</i> , litterae, arum, f. pl.; epistula, ae, f.	<i>g. (de pegar)</i> , gummi, n. indecl.
<i>c. certificada</i> , epistula commendata, ae, f.	<i>hoja (de papel)</i> , pagina, ae, f.; scida, ae, f.
<i>cartapacio</i> , capsula, capsula.	<i>lacre</i> , cera signatoria.
<i>cartera</i> , chartarium, ii, n.	<i>lapicero</i> , stilus plumbeus.
<i>cartilla</i> , elementorum tabella, f.	<i>lápiz</i> , graphium, ii, n.
<i>cartón</i> , collēma, atis, n.	<i>libreta</i> , codicillus, i, m.
<i>cera</i> , cera, ae, f.	<i>libro</i> , liber, bri, m.
<i>cola</i> , gluten, inis, n.	<i>mapa</i> , tabula geographica, f.; pinax, ãcis, m.
<i>compás</i> , circinūs, i, m.	<i>máquina (de escribir)</i> , dactylographum, i, n.
<i>copia</i> , exemplar, aris, n.	<i>metro</i> , metrum, i, n.
<i>cuaderno</i> , codex, icis, m.	<i>papel</i> , charta, ae, f.; papyrus, i, f.
<i>diarios</i> , acta diurna, n.	<i>pizarra</i> , abacus, i, m.
<i>dirección</i> , manifestaria, orum, n. pl.	<i>pluma</i> , calamus, i, m.
<i>disparate</i> , lapsus, us, m.; error, oris, m.	<i>puntero</i> , radius, ii, m.; ferula.
<i>engrudo</i> , glutinum, ii, n.	<i>pupitre</i> , pluteus, i, m.
<i>estampilla (sello)</i> , sigillum, pittacium, ii, n.	<i>raspador</i> , radula, ae, f.
<i>estante</i> , pluteus, i, m.; armarium, ii, n.	<i>revista</i> , ephemeris, idis, f.
<i>estilográfica</i> , stylographum, i, n.	<i>secante</i> , charta bibula, f.
<i>equivocación</i> , mendum, i, n.	<i>sobre</i> , involucrum, i, n.
<i>examen</i> , tentamen, examen, inis, n.; periculum, i, n.	

tarjeta postal, schedula; chartula, ae, f.
t. de invitación, libellus, i, m.
tarima, suppedaneum, i, n. [ae, f.
telegrama, telegrapha, atis, n.; scytāla,

tinta, atramentum, i, n.; linimentum, i, n.
tintero, atramentarium, ii, n.
tomo, volumen, inis, n.

DISCIPLINAE

aritmética, numeri, orum, m.; numero-
rum studium.
astronomía, caelestia, n. pl.; studia side-
rum, astronomia, ae, f.
botánica, plantarum atque herbarum
studia.
filosofía, sapientiae studium, philoso-
phia, ae.
física, physica, orum, n.; physicorum
studia.

gramática, ars grammaticae; grammati-
ce, es.
geología, naturae terrae scientia, ae, f.
música, musica, orum, n. pl., sonorum
studia.
poética, poëtice, es, f.
química, chemia, ae, f.
retórica, eloquentiae studium; ars di-
cendi.
teología, Dei scientia, ae, f.; scientia sa-
cra; theologia, ae, f.

DE ARTE GRAMMATICAE

adjetivo, nomen adjectivum, n.
adverbio, adverbium, ii, n.
alfabeto, litterae; elementa; litterarum
ordo.
artículo, articulus, i, m.
caso, casus, us, m.
conjugación, conjugatio, onis.
construcción, constructio, onis, f.
contracción, contractio, onis, f.
consonante, consona, ae, f.
declinación, declinatio.
diptongo, diphthongus, i, f.
etimología, notatio, onis; nominum in-
terpretatio, etymologia, ae; etymon,
i, n.
género, genus, cris, n.

letra, littera, ae, f.
modo, modus, i, m.
nombre, nomen, inis, n.; substantivum,
i, n.
número, numerus, i, n.
palabra, dictio; vocabulum, i, n.
pleonismo, pleonasmus, i, m.
persona, persona, ae, f.
pronombre, pronomen, n.
sílaba, syllaba, ae, f.
solecismo, soloecismus, i, m.; vitium ora-
tionis.
tiempo, tempus, oris, n.
verbo, verbum, i, n.
vocal, vocalis, is, f.
zeugma, adjunctio, onis, f.

PROVERBIA

Vir sapiens grates pro damno reddere curat:
dando gracias por agravios negocian los hombres sabios.

Tu potius verbis, quovis quam pignore certes:
porfiar, mas no apostar.

Si tacet insipiens sapientis nomine gaudet:
el bobo, si es callado, por sesudo es reputado.

Surda sit absurdis semper sermonibus auris:
a palabras necias, oídos sordos.

Plurima verba loquens, verbis in pluribus errat:
quien mucho habla, mucho yerra.

URBANITATIS LECTIO

Ut bene compositus pueri animus undique reluceat —reluet autem potissimum in vultu— sint oculi placidi, verecundi, compositi, non torvi. Nec enim temere dicunt sapientes animi sedem esse in oculis. Sit item frons hilaris et explanata; sint exprorecta supercilia nec torva nec superba. A naribus absit mucus; pileo aut veste nares emungere rusticum est, brachio vel cubito salsamentariorum, neque civilius est digitis hoc facere. Si sternis, civile est corpus avertere, sternutamentum iterare est nugacis. Malas tingat natus et ingenuus pudor. Si forte evenit oscitatio, os ma-

nu tege. Omnibus dictis aut factis arridere stultorum est; nullis arridere, stultorum. Cachinnus sive immodicus risus, qui corporis omnia membra quatit, omni aetati turpis, turpior pueritiae est. Dentium munditiam cura, at candidos facere dentes pulviculo est proprium puellarum, sale vel alumine defricare gingivae periculosum est. Si quid inhaesit dentibus, non cultello, non unguibus instar canis vel felis decet eximere, sed lentisci cuspe vel penna. Vox sit mollis et sedata, non clamosa, quod est agricolarum, nec tam pressa ut ad aures non perveniat. (ERASMUS).

INTER SCHOLARES

(E. JOVÉ, *Pal. Lat.* 1932, p. 128)

PETRUS. — Sunt verba quorum supina vix aut ne vix quidem adhibentur.

Qua tandem ratione ages cum ex necessitate credes; iis uti debere?

PAULUS. — Num times? nescis per ignem incedere.

PE. — Numquid hoc facies renuente lingua latina.

PA. — Nullo modo.

PE. — Quid igitur ages? Audiam libenter consilium tuum, quod de peritia tua suscipiendum fore spero.

PA. — Id ego facio quod faciebant ve-

teres. Cum verbum aliquod praeterito vel supino caret, pro eo verbum summo sensu consimile, quod alterius egestati subveniat.

PE. — Euge! Explica clarius rem, etenim placet.

PA. — Exemplo videre licet. Habes verbum TUEOR; ne dixeris in praeterito TE TUITUS SUM, namque hoc parum est latinum; dic potius: TE TUTATUS SUM.

PE. — Recte capio. Alia numerum praeterita et supina, quae ab aliis sint substituenda.

PA. — Ecce praecipua:
 Ferio, PERCUSSI, PERCUSSUM.
 Dissero, disserui, DISPUTATUM.
 Dego, EGI, ACTUM.
 Bibo, bibi, POTUM.
 Parco, peperci, TEMPERATUM.
 Cano, cecini, CANTATUM.
 Fallo, fefelli, DECEPTUM.
 Arguo, argui, ACCUSATUM.
 Coarguo, coargui, COEVICTUM.

Meto, MESSEM FECI, messum.
 Furo, INSANIVI.
 Excello, PRAESTITI.
 Posco, poposci, POSTULATUM.
 Fruor, USUS SUM.
 IRASCOR, SUCCENSUS.
 Vescor, VIXI.
 Tollo, SUSTULI, SUBLATUM.
 PE. — Est tibi gratia.
 PA. — Quam Deo reddo et vale.

ARITHMETICAE REPETITIO

ROCHUS (*Magister*). — Heus, pueri, assurgite; hodie habenda est nobis mathematicorum ratio (*repaso*) praecipue de additione; unusquisque stilum capiat et tabellas et quod tradam, istic scribite et persolvite.

GULIELMUS. — (*Apud se tacitus*). Rem difficillimam prae cunctis imperat magister et mihi perexosam.

R. — Animum intendite! Quippe quod pueri litteris elementariis et calculo imbuti, hi potissimum idonei erunt qui rempublicam temperent et civitatis negotia suscipiant, non enim scholae sed vitae discimus; secus, imperitus ad nullam rem utilis homo.

AUGUSTUS. — Licet per te, Domine? Schola quid est? Numquid otii locus? Cur, quare, qua de causa...

R. — Sile, auritule! Schola non ab otio et vacatione omni dicta est, sed quod ceteris rebus posthabitis, vacare studiis pueri omni cura debent. - Domine Jacobe; progredere ad abacum et summam confice 142, 416, 559.

JACOBUS. — Recte, Domine, nihil est quod placeat magis. Iam oculi quaestio soluta erit. (*Voce elata*): novem et sex sunt quindecim; quindecim et duo

sunt decem et septem; septem signo et unum retineo. Unum et quinque, sex sunt; sex et unum, septem; septem et quattuor sunt undecim; unum scribo et unum retineo. Quinque et unum sunt sex, plus quattuor additis, decem; decem et unum sunt undecim. Scribo undecim. Summa est mille centum decem et septem.

R. — Recede in locum tuum; tu nunc vicissim exi ad abacum, Friderice; tuae nunc sunt partes et deduc quod sequitur: 5785, 3572. Memineritis oportet vos omnes in addendo deducendoque potiores sitas esse Arithmeticae partes.

FRIDERICUS. — Duo de quinque (deduco), tria supersunt; suscribo tria. Septem de octo, duo superant; suscribo duo. Superant duo milia ducenta tredecim.

R. — Perbellie! Ita raptim semper fit deductio et additio, ut constet omnibus vos optimos esse calculatores. De his hactenus; postera die, tradita a me de multiplicatione et divisione dicemus. Nulla dies sine linea sufficiat. Valete usque ad reditum.

RAIMUNDUS SARMIENTO, C. M. F.
Villae Rosarii, in Argentina.

Commercium epistulare

Josephus M.^o Mir, R. P. Andreae Avenario, amico suavissimo sal.

Jam diu est cum de te nihil novi accepi neque ex litteris tuis neque ex P. Alexandro; tamen te optime valere et arbitror et cupio quamvis aestuosissimi sint Romae calores. Ex diuturno silentio vehementer suspicor fasciculos PALAESTRAE LATINAE, — Pelleterii pueri historiam enarrantes, quosque m. junio misi —, te non accepisse, neque epistolam cursui postali aërio traditam, quam in fasciculo 99 cum responsione mea editam leges.

Si quid ad nos mittere velis per Viam Juliam mittendum cura. Fac ut plurimum valeas. Pridie nonas septembres. Barbaastro.

Andreas Avenarius, S. V. D., Josepho Mir suo C. M. F., S. D.

Utinam vero nunc mihi pateret aliquod perfugium quo me recipiam, ne telis feriar justae objurgationis et exprobrationis, qui tam foede et improbe jura laeserim aequitatis et amicitiae. Confiteor omnia quae vultis et multa praeterea alia. Adeo me conterruit tua, Joseph, epistula, quam scriptam pridie Nonas septembres per viam Juliam reddendam curaveras, quae heri reddita est, cui postridie raptim haec respondenda mandavi malleolis. Impeditus non leviter ulcere pollicis manus sinistrae, quem jam tertiam hebdomadam habeo sedem cruciatuum, quotiescumque partem vicinam, nedum ipsum vulnus tetigero. Narro tibi superiores litteras, tam plenas humanitatis tamque fecundas responsionis segetis, datas XVIII kal. maj. eodem mense, et VII kal. item majas mihi redditas esse et paulo post fasciculum PALAESTRAE, quem ipse ex diribitorio abstuli. Si miseris per occasionem numerum 80 et 81 totam collectionem colligendam curabo. Tum quidem temporis ego pervolvens singula folia incidi in epistolam abs te in quodam libello ad me datam, cui nondum est a me responsum, sed intellegebam rem responsione dignam, et spera venturam brevi. Sed qui tandem factum, inquires, ut totius fere anni decursu nihil ad nos litterarum, nihil articulorum? Diu ante oculos posita erat epistula tua, sed nunc viis apertis post bellum litteris, tam multa afferuntur in officium quod Romae mihi obtigit, ut totum tempus ad machinam sedeam scribamque, neque intercedentes fiant, quibus liceat cogitare amicos et amicorum desideria. Ubi inde domum reverti, et paulum quieti corpus dedi, et divinum officium absolvi, vix una vel altera hora relinquitur, qua cogitem amicos. Et natus sum quasdam conjunctiones adulescentum in Aegypto captivorum quibus interdum respondendum est; ut illis tolerabilior videatur tam longinqua captivitas. «Facis bene, sed feriatu eras; quid? nihil surripere potuisti nobis quod dares spatii, vel quod tu tuae humanitati fideique dedicares?» Fuerunt sane dies, quos feriatos nominant. Mensis Julii et Augusti partes vacationi machinae datae. Sed per calores et siccitates inclusus muris, quod jam duobus moliebar annis, tandem perfeci: ut ita quatuor evangelistarum textus contexerem, ut continuum sermonem efficerem. Scio rem eandem jam factam esse ab Jesuita quodam Lohmann; sed accuratius ea, et ita, ut

nulla fere deesset vox, volebam. Et scriptio locorum eorum conjunctorum partim etiam conjungendorum totum fere tempus feriatum sibi absumpsit. Sunt etiam alia quaedam opera suscipienda: nonnihil temporis tribuebam amicis rogantibus, est mihi in manibus elucubratio quaedam ad psalmorum usum liturgicum quae pertineat, non inutilem meo iudicio cum confecta erit, et si liceret, totos dies insumerem ad meditandum evangelium admotis etiam non tam doctorum exegetarum sententiis, sed narrationibus tam simplicibus vatis Westphalicae, cui nomen Annae Catharinae Emerich, Augustinianae monialis, si forte nomen etiam Hispanis jam ad aures venit. Haec omnia si animo complexus eris et non nimis severus in iudicando eris, certe dabis veniam silentio tam diuturno et cuidam, cujus me ipse condemno, rusticitati. Non ante scripsi, quod semper eram scripturus.

Quod nomen mutabam meum, quod Avenulam feceram ex Avenario, causa haec fuit: Si quis linguam Bavaricam callens deliberet, quid vocabuli sit «Haberl» intellet vocem diminutivam esse hanc ex nomine quod est Haber, et Haber est avena. Haberl igitur sonat idem atque «parvula avena», vel «bella avena». Itaque inclinatur animus, ut ex Avenario (quae vox magis significare videtur eum, qui avenam mercatur, qui avenae horrea possideat) Avenulam faciam; sed etiam dici potest cur maneam in priore nomenclatura, quae cum ALMA ROMA et cum epistulis et cum PALAESTRA per totum jam orbem manavit. In PALAESTRA igitur Avenarium scribitote, quem in privatis litteris libere Avenulam vocem. Sed jam tempus monet ut finem scribendi faciam. Jam igitur spem fove in animo tuo paucis hebdomadis interjectis venturum esse, quod in PALAESTRAM inseras, absolvero certe mense hoc ipso octobri. Dic meis amicis meis verbis salutem et cura ut valeas. Diligentius et liberalius copiosiusque velim te adjuvent illi suis elucubrationibus, ne interdum nescias unde petendum penum litterarum putes. Vale. V Nonas Octobres. Ex Urbe.

Josephus M.^a Mir, C. M. F., Andreae Avenario, S. V. D. Sal.

Nullum periculum tibi quaerendum, o bone, tuae litterae totam rem patefaciunt; si tamen quaeris., in PALAESTRAM perfuge, advola, ubi te et narrationes tuas et epistulas eruditas omnes expectant. Digni tui cruciatus doleo, eis que te levatum volo et jam gaudeo.

Multis profecto te implicatum atque impeditum negotiis video; aetatem nostram, pro dolor!, lugeo, quae tot tantaque fatigatis jam umeris imposuerit ac nosmet sine sociis reliquerit!.. Elucubrationes, quas narras, maximae futuri utilitati certo aestimo, quas utinam legere fas sit. Dum tua et tanta volvis, finge animo in Aegypto —quam ex amicis illis cogitas et amas— et nos deversari et fac scintillam aliquam litterarum mittas. Et jam de illo munere litterario, quod polliceris, grates rependo et habeo. Expecto.

Animum levasti illa explicatione nominis ejusque diminutionis: nunc *Avenulam* nostrum semper amabo. Amici —qui fuerunt— et in alia *palaestra* ludunt, tui memores sunt. Memoria tu eos nosque tene et vale.

VI Kal. novembres. Barbaastro.

PICTURA 13.^a

MONS - BALNEA

1. — Octavum jam diem in [urbe] Pratz commoror. Quanta affectus sim admiratione referre non possum cum ante continuos montes¹ pyrenaeos observatus sum, quorum vertex, ² velut mirae magnitudinis sarta, caeruleum caeli sinum conscindunt.

2. — Cacumina³ pyrenaea in tantam progredi altitudinem numquam mente conceperam et coram mirifica glacialia⁵ et juga⁴ nive oblecta, in quibus immanes nivium moles dilabuntur, admiratione captus sum.

3. — Postridie adventus in priscum atque exstinctum montem ignivomum⁶ qui ad [urbem] Pratz est, convēni. In cratēris oris aridis et nudis vestigia amnis vulcanii decurrentis, plures abhinc aetates, per montis radices,⁷ distincte adhuc cerneris. Quaedam vulcaniae massae fragmenta in latere reppēri.

4. — [Urbs] Pratz in finibus est posita, atque arx,⁸ quae, jugum²⁷ dissocians Galliam et Hispaniam, defendit, omnino in mentem revocat vetusta castella ad oras Rheni, quae praedam ab alto saxo insidiari videntur.

5. — Immanis aquila,⁹ quae nidum non longe a castello ponit, saepe animum allicit. Ea avis rapax potenti rostro agnum vel haedum, quem unguis comprimit, pullis interdum adsportat. Cujus alarum magnitudo tanta est ut aliquamdiu cum gravi onere pendere possit.

6. — Excursio in dejectum aquae¹⁰ [ad locum] Cau est jucundior quae hic fieri potest deambulatio. Aqua praeceps fertur ac fervens, quae tandem per abietum nemus,¹¹ ad occidentem urbis partem situm, in festium rivulum se recondit. Per nemus ad observatorium meteorologicum¹² conscendimus atque ex alta apopsi totum hujus regionis prospectum conspeximus. Haec loca amoenissima sunt et natura, bona, quibus instructa est, in hanc terram effundere videtur.

7. — Descendentes tramen funale¹³ sumpsimus atque ad stantiunculam prope prisci castelli feudalis ruinas¹⁴ consistimus, quod olim domini Pratz incoluerant.

8. — Misellum castellum! Quid cogitet cum ad radices elegantes balineas¹⁵ prospiciat, quae nunc novi moris sunt statio thermarum? — Caelum adeo est temperatum, aqua medicata adeo salutaris ut curationes quae in valetudinario¹⁷ fiunt, voluptatis causa sint.

9. — Ceterum ut jucunda sit commoratio, omnia profunduntur. Amplius viaductus¹⁶ munitus est ut ferrivia superinsterni possit. Saepium¹⁸ sedis thermarum, ubi concentus eduntur, mira gratia distributum est. Venustae villae¹⁹ circum conventiculum²¹ exstructae sunt atque via silice strata²² sarta tecta facillimos praebet aditus.

10. — Declivitas²³ viam²⁰ a valle,²⁵ suopte nomine si dixeris, tantum separat, in cujus recessu venustus lacusculus²⁶ explicatur, qui nitidum rivulum²⁴ alit.

11. — Trans valleculam ferraria²⁸ exercetur. Ut autem fossores metallicos descendentes ad puteum viderem, interdum conveni, atque in cuniculum penetravi ubi, metalla educentes quae ferrum continent, diem exigunt.

12. — Amplum fusorium juxta metalla structum est ut ab opibus, quae ex his deducuntur, continuo fructum capiant. Canflatorium²⁹ lithranthræce fervefactum, qui hic abundat, facilem et minimo sumptu reddit fusuram.

13. — Haud procul a ferraria lapicidinae³⁰ exciduntur. Nec petram granatam nec porphyritam neque cotem, sed lapides quadratos ad aedes exstruendas vetulus lapicida dolābra abscedit.

13. — Abies³¹ est quidem ex venustioribus hujus loci ornamentis. Ubique, in anfractu,³² ad oras torrentis³³ et gurgitis³⁴ vel in praecipiti loco earum tenues aculei viriditatem atque jucunditatem profundunt.

15. — Feriis utor ut productiores conficiam ambulationes. Viae³⁵ quae per montem serpunt plura Chil[i]ometra et interdum plures leucas, quin spatium animadvertamus, percurrere sinunt. — Miliaria³⁶ et postes indices³⁷ vias dimetiuntur, in quibus subinde juvenem montanum³⁸ invenies, cum pera⁴⁰ ad tergum, murem alpinum³⁹ deferentem, aut boium,⁴¹ cujus pelliceus petasus⁴² plurimum a vetulo et dilacerato cucullo⁴³ repugnat. Ipse catena edoctum ursum⁴⁴ deducit.

16. — Singulis fere diebus cum duce⁴⁵ in montem ascendo, atque cum, manticam⁴⁷ post tergum gestans, manu alpini perticam tenens, verus ipse voluptarius viator⁴⁶ saxa⁴⁵aggredior, mirum gaudium percipio.

17. — Ex alto monte accolae campi formicis majores non conspiciuntur; arietum grex⁵⁰ in prato⁴³ pascens puerorum crepundia apparet. Pinus⁵¹ vel etiam vilulla,⁵² inter virentia punctum vix constituunt.

18. — In his excursionibus saepius in tramite⁵³ cum rupicaprarum⁵⁴ venatore occurrimus in tergo animal, quod nuper occiderat, portante.

19. — Pulchrum filicis⁵⁵ ramulum in herbario reposui atque roseum et venustum erices⁵⁷ surculum, quem in specus aditu legi, extremum cum spatiarer.

VOCABULARIUM

- 1 continui montes, *cordillera, chaîne*.
 2 vertex, icis, m., *cúspide, crête*.
 conscindere, *desgarrar, desñacarse, se decouper*.
 sarta, orum, n. pl. [-um], *festón, feston*.
 3 cacumen, inis, n., *cumbre, sommet*.
 4 jugum, i, n., *pico, pic*.
 † moles nivium, *alud, avalanche*.
 5 *glaciale, is, n., *ventisquero, glaciar, glacier*.
 6 †mons ignivomus, vulcanus, i, *volcán, volcan*.
 ora, ae, *borde, bord*.
 crater, eris, m., *cráter, cratère*.
 † amnis [s. cinis] vulcanius, *lava reciente, lave*.
 7 radix, icis, f., [pl. -ices], *falda, flanc*.
 † massa vulcania, *lava (endurecida), lave*.
 fines, ium, pl. f., *frontera, (país), frontière*.
 8 arx, arcis, f. castrum, i, n., *fortaleza, fort*.
 insidiari, dep., *acechar, guetter*.
 animum allicere, *atraer la atención, attirer l'attention*.
 ungula, ae, *garra, serre*.
 comprimere, *llevar cogido, tenir*.
 pullus, i, *cria, petit*.
 pendere, *cernerse, planer*.
 excursio, onis, f., *excursión, excursion*.
 10 † aquae dejectus, us, *cascada, cascade*.
 praecipit ferri, *precipitarse, tomber*.
 fervere, *borbotar, bouillonner*.
 occidens pars, *occidente*.
 † recondere se, *perderse, se perdre*.
 12 *observatorium meteorologicum [turris observatoria], *observatorio meteorológico, observatoire météorologique*.
 apopsis, is, f. [solarium], *mirador, azotea, l.l. védère*.
 prospectus, us, m., *panorama, panorama*.
 effundere, *prodigar, prodiguer*.
 13 †tramen funale, *funicular, funiculaire*.
 statiuncula [statio parva], *pequeña estación, petite station*.
 consistere, *detenerse, s'arrêter*.
 castrum feudale, c. *feudal, châteaux féodal*.
 elegans, ntis, *bonito, coquet*.
 15 balineae, arum, f. pl., *balneario, ville d'eaux*.
 statio thermarum, *estación termal, station thermale*.
 in morem, novi moris. *de moda, à la mode*.
 caelum, i, n., *clima, climat*.
 aqua medicata, *agua mineral, eau minérale*.
 curatio, onis, f. [-ones, pl.] *curación, cure*.
 17 valetudinarium, ii, n., *sanatorio, sanatorium*.
 causa voluptatis esse, *ser un placer, être un véritable plaisir*.
 profundere omnia, *no escatimar nada, avoir tout prodiguer*.
 16 viaeductus, us, m., *viaducto, viaduc*.
 munire, *construir, construire*.

- ferrivia, ae, *vía férrea*, voie ferrée.
- 18 saeptum, i, n, *parque*, parc.
 sedes thermarum, *establecimiento termal*, éta-
 blissement thermal.
 concentus edere, *dar conciertos*, donner des con-
 certs.
 mira gratia, *de un modo encantador*, d'une façon
 charmante.
- 21 †conventiculum, i, n., *casino*, casino.
- 22 via [silice] strata, *carretera*, chaussée.
 sarta teŕta, *bien conservada*, bien entretenue.
 aditus, us, meatus, us, m., *comunicación*, com-
 munication.
- 23 declivitas, atis, f., *escarpa*, talus.
 recessus, us, m., *fondo*, fond.
 explicari, *ostentarse*, s'étaler.
- 28 ferraria, ae, f., *mina de hierro*, mine de fer
 exercere ferrariam, *explotar una mina de hierro*,
 être en exploitation une mine de fer.
 fossor, oris, m. [s. metallicus, i.], *minero*, mi-
 neur.
 cuniculus, i, m., *galería*, galerie.
 metalla, orum, n. pl., *mineral y mina*.
 *fusorium, ii, n., *fundición*, fonderie.
- 29 †conflatorium, ii, n., *alto horno*, haut fourneau.
 *lithanthrax, acis, m., *carbón de piedra*, charbon
 de terre.
 fervefacere, *calentar*, chauffer.
 minimo sumptu, *de modo económico*, d'une fa-
 çon peu coûteuse.
 †fusura, ae, f., *hierro colado*, fonte.
- 30 lapicidinae, arum, pl. f., *cantera*, carrière.
 †petra granata, *granito*, granit.
- porphyrites, ae, f., *pórfido*, porphyre.
 cos, tis, f, *asperón*, grès.
 lapis quadratus, *pedra de sillería*, pierre de
 taille.
- 31 anfractus, us, m., *barranca*, ravin.
 aculeus, i, [acumen], *aguja*, punta, aiguille.
 profundere viriditatem atque jucunditatem,
dar la nota verde y alegre, mettre la note
 verte et gaie.
 ambulatio, onis, f., *paseo*, promenade.
 leuca, ae, f., *legua*, lieue.
 chil(i)ometrum, i, n., *kilómetro*, kilomètre.
- 36 miliarium, ii, n., *pedra miliaria*, mojón, borne.
 37 postis index, *poste indicador*, poteau indicateur.
 pera, ae, f, *alforja*, besace.
- 39 mus alpinus, *marmota*, marmotte.
- 41 boius 3, *bobemio*, (conductor de osos), bohémien.
- 42 petasus pellicus, *gorra de piel*, toque de fou-
 rure.
- 47 mantica, ae, *moñila*, sac.
 alpini pertica, *bastón de alpinista*, alpenstock.
- 46 †voluptarius viator, *turista*, touriste.
 mirum gaudio percipio, *me siento orgulloso*, je
 suis très fier.
- 53 trames, itis, m., *senda*, atajo, sentier.
- 54 rupicäpra, ae, f., *gamuza*, chamois.
 herbarium, ii, n., *herbario*, herbier.
- 55 filix, icis, f., *helecho*, fougère.
 surculus, i, m., *ramita*, brim.
- 57 erice, es, f, *brezo*, bruyère.
 spatiaŕi, dep., *pasear*, dar un paseo, faire une
 promenade.

JOSEPHUS M MIR, C. M. F.

Versio latina opusculi *Livret explicatif des Tableaux Delmas*, editorum licentia prodit: jura proprietatis vindicantur

CHOCOLATES ORÚS - ZARA GOZA

LOS MEJORES DEL MUNDO

Marca de la Casa: Escudo de la Virgen del Carmen

No busque otros. Los mejores del mundo

CHOCOLATES ORÚS - ZARA GOZA

Infantis Jesu, jacentis in praesepio et
Sororis Teresiae, adhuc Tirocinium agentis

COLLOQUIUM

TERESIA. — O mi puelle bellule,
Nitore vincens sidera,
Thesauri, cunctis carior,
Dulcedo, melle dulcior
Germen tenellum Virginis,
De flore nascens floscule,
Caeli decus pulcherrimum,
Mundique lumen fulgidum,
Quid hic agis, paupercule,
Faeno recumbens hispido?
Dormis? ocellos explica,
Depelle somnos, est satis,
Et te foventem respice...
Ridere sed nunc incipis?
Quid corde volvis parvulo?
O risus hic mirabilis,
Candore caeli purior!
Ridere pergas, te rogo,
Namque intuendo concido...
Tandem recludis lumina?
Quam pulchra sunt et lucida
Caeleste quid spirantia!
Ex hoc patet cernentibus
Unde trahas originem!

JESUS. — Quid musitas, sororcula,
Petisque verbis suavibus
Missis per aures, cor meum?

TERESIA. — O mira res! ocelle mi,
Dic, unde sic minusculo
Usus loquelae nascitur?

Quis verba te componere
Docet facete et promere?

JESUS. — In hoc nihil mirabile.
Memento me Verbum Patris
Exsistere ante saecula.
Qui verba dat mortalibus

Verbis carebit ipsemet?

TERESIA. — Est ita verum, Jesule,
Obliviosae parcito.
At perge, perge farier,
Audire nam te gestio.

JESUS. — Audire me vis? altius
Infige menti quae loquor:
Mihi placent infantuli,
Cordi mihi sunt parvuli.
Quid gratius, quid pulchrius
Candore purae infantiae?
Ego innocentes diligo,
Amo rosas et lilia,
Quaecumque sunt humillima,
Quaecumque sunt illimia.
Si vis placere, ut arbitror,
Mihi puello Bethlehem,
Esto puella perpetim,
Pusilla semper delige,
Calca vias puertiae,
Semper maneto parvula.

TERESIA. — Tollo memor quae praecipis,
O parve doctor optime!
At mente ne unquam defluant,
Feram retenta nomine.
Cum namque vota proferam,
Exopto quod vel maxime,
Vocabor *Jesu soror*
Infantuli Teresia.

JESUS — Nomen probo quod cogitas:
Sis ergo re quod nomine.

TERESIA. — At hinc, dolor! recedere
Opus mihi nunc, Jesule,
Poscunt enim minuscula:
Scalas, chorumque verrere,

Pullis cibum respergere,
 Sertis rosarum altaria
 Ornare, sic et cetera...
 JESUS. — I nunc, redibis, si placet;
 Explere cures munia.
 TERESIA. — An non prius sed parvulae
 Per te licebit osculum
 Libare divo parvulo?
 JESUS. — Quid postulas, sororcula?

Me sola Mater candida
 Deosculatur candidum.
 Si tanta vero te capit
 Cupido, per me transeat...
 TERESIA. — O parve Jesu blandule!
 O suavitas dulcissima!
 Vitae voluptas unica!
 Abite longe gaudia
 Mendacis hujus saeculi!
 FR. JOSEPH A. URQUIOLA, O. F. M.

Beatam Me Dicent Omnes Generationes

PATRIUM CARMEN

*In Virginem Mariam adveniente jam
 primo COETU MARIANO Bonaerensi.*

Divite argento Suboles decora,
 Carmen excelsae Domini Parenti
 Pange, quae nostro velut alba caelo
 Stella coruscat.

Nocte sub caeca Patria jacente,
 Cum semel Christi micuere luces,
 Virgo subridens populo fideli
 - Fulsit in ortu.

Quam viri Hispani tulerint colendam
 Puppe quam nautae venerantur undis
 Hanc cito Matrem redamare discit
 Verna colonus.

Hinc domus sacrae Dominae dicantur,
 Urbibus templum, per agros sacella:
 Hic frequens noster populus Mariam
 Advocat almam.

Ipsa convertens oculos benigna,
 Asperis rebus perhibet levamen,
 Annuens votis miserata egentem
 Munere complet.

SIDUS

Bella dum miles migrat in cruenta,
 Nobiles illi Patriae optimates
 Virginem Matrem precibus rogabant
 Usque periculis.

Nullus in divos inolescet error,
 Nullus armorum fragor exterorum
 Jus dabit nostris populis iniquum
 Virgine dextra.

Sidus hoc nunquam Patria recedat,
 Nubis obductae procul error absit;
 Adsis, o Virgo, rutilans perenne
 Lumen in aevum.

Civitas princeps, AERUM BONORUM,
 Fauſta quae COETUM MARIANUM inibis,
 Te decus praebere Suboli atque dignam
 Virgine tanta.

Jamque Reginae tribuent honores.
 Gutturum infantum juvenumque voces:
 Civium clamor resonet per ampla
 Regna Mariae.

LUDOVICUS MARCOS, C. M. F.

Palaestra Exercitatoria

Leprosi parabola

Longinqui montes Nizam solis aureo pulvere involuti splendebant ac longae camelorum catervae in arena corpus obliquabant dum feminae amphoram in umero portantes atque canentes de cisternis regrediebantur et aquila vorax, ex his quae nidum in altis Judaeae promunturiis effingunt, gravis impendens in caeruleo caelo, mobiles in terra umbras diffundebat.

Jesus, tribus cum discipulis iter faciens, Bethleem veniebat a misera vidua vocatus cujus unus filius animam agebat vehementer invocans nomen illius dulcissimi Rabbi puerorum amicissimi, quem quodam die vespere viderat juxta puteum Jacob medentem balsamo verborum seni Idumaeorum pastori quem serpens venenata in brachio momorderat.

De caritate agebat. Oculi ut sol ardebant. Supra albam tunicam cinereis fimbriis ornatam, incompti fluitabant capilli. Vesperi ventus supra pectus longam nazareni barbam et acutam tremefaciebat. «Liberalis esto, agebat, sed ne ope destitutum liberalitate tua deprimas. Cum stipem pauperibus eroges ne jubeas ante te argenteis tubis personare, ut hypocritae in synagogis faciunt et in plateis. Clam subveni; Ille, enim, qui secreto audit et videt, ipse erit merces tua».

Vox placida erat et suavis. Mulieres subsistebant ut eum audirent, illumque oculis teneritate umectis aspiciebant. In proximis agris agricolae salutem dicebant, brachia peragitantes: «Prophetiae implentur! Hosanna Filio David! Benedictus qui venit in nomine Domini!... Hosanna!!... Hosanna!!!...»

Jesus autem: «Cave viros opulentos, sed et dissolutos et avaros qui epularum reliquiis servos alunt. Fac accedere miseros ad mensam cordis tui et cum eis panem et vinum divide. Si fratrem flentem vides ne quaesieris illum sapientibus verbis consolari, et tu cum illo luge. Haec est vera dilectio».

Iter paulatim faciebat. Greges sub pulverulentis olivetis meridiabantur. Pastor tenui meditabatur avena monotonum patriarchale carmen in quo de tentoriis medio in deserto tentis, et de noctibus placidis, et caeli manna, et camelarum lacte agebatur et prudentibus virginibus quae lampades accendunt et sponsi adventum expectant.

Per segetes transierunt et per florea vineta ubi turtures querulo blandiebantur cantu. Subito ad ripas fontis steterunt qui ex rima duorum ingentium saxorum effluebat. In sinu viae juxta coopertam siccis palmae foliis casam leprosus, scissis vestibus, immobilis, genibusque flexis, manus et oculos ad sidera levans, miserande ululabat. Cujus os sole renidebat velut aes vetus rubigine exesum, frons unum erat ulcus, labra livida et purulenta frustatim cadebant.

Matthaeus publicanus, e primis Domini discipulis, pecoribus et agris dives, e tunicae rugis nummum deduxit et eminus, illum in aëre circumvolvens ad leprosum projecit.

Petrus, rudis sed piscatorum Capharnai sollertissimus, corhem viaticum e bracchio subtraxit et, caute progrediens, illum ad limina posuit.

Johannes, e tribus junior pulchriorque, et praeter ceteros dilectus, cujus adulescentis caput totiens Magistri manibus permulsum fuerat, pannum suum linteum, qui in umeris fluitabat, demisit et pallidus et tremulus, summis sandaliis insidens et brachia timide expandens, illum post leprosi tergum imposuit.

Tantum Jesu obolus deerat. Sol post igneos montes occidebat. Quidam mercatores gressum ibi tenuerunt ut cameli biberent. Dominus benigno ac placido animo processit. Manibus suis sacris informe leprosi caput accepit, frontem inclinavit et illius labra osculatus est.

Discipuli immobiles permanserunt, mercatores obstupefacti genua flexerunt, ad astra manus tendentes; et ipsi cameli ad Jesum submorosa porrexerunt capita in quorum labronibus aquae tenue filum tremebat.

GEORGIUS NOGUÉS, C. M. F.

Barbastrî, die festo S. Thomae an. 1946.

(Interpretatio ex F. Villaespesa).

Epistolia soluta

MODERATORI AUXILII LATINI (*Elisabetham*). Superioris anni fasciculos commentarii vestri benigne accepi; spero et vos PALAESTRAM nostram accepturos.

GR. C. M. (G.) Chartulam tuam accepi. Exeunte mense junio nondum tuum de metrica librum ab Administratore barcinonensi acceperam. Nisi ergo erro et computare scio annum transactum, ex quo ego unum accepi libri tui exemplar non video. Res nostras, quaeso, benignioribus inspicias oculis; nosque tibi infensos ne putaveris cum tamen verbis parum benevolis et amicis usus sis.

DR F. O. Administratori nostro statim rescripsi et spero vel per P. Mel-

chthorem vel alia via librum quem postulasti et PALAESTRAE exemplaria brevi te accepturum.

J. B. (*Cervariam*). Celeri calamo semper amico scribis. Voluntatem erga nos libenter recipio eaque saepius abutar. P. Capuccino rescripsi atque subnotationem Seminarium N. Dnae. a Begonia Administratori transmissi. De alumnis tandem interrogas? Recolant saepissime morphologiam, in ea ne momento cunctari siveris; in nominum regimine, in orationibus perficiendis saepissime in aula exercentur, idque in ipsa classicorum interpretatione facere possunt. Sic, mihi crede, oleum et operam non perdes.

BIBLIOGRAPHIA

J. M. OLEZA, S. J. — *Gramática de la lengua latina*, I.^a parte. E. Subirana, Barcelona, 1945, 400 p., 30 ptas.

Editrix Pontificia E. Subirana hoc novo volumine propriam ditavit bibliothecam librorum qui studia latinitatis edocent et fovent, Cl. hujus grammaticae scriptor, vestigiis P. Em. Alvarez, S. J. insistens, ea omnia collegit quae ad perfectam alumnorum cognitionem et scientiam assequendam in lingua latina aptiora reputantur. Alumnis praesertim trium priorum cursuum latinitatis opus dicatur.

Legum ac praeceptorum expositio luculenta patet, praeterita ac supina copioso elencho proponuntur, genera nominum et concordantia et alia, synthesisi facillius conspici possunt; de analysi grammaticali, de nominum compositione, de pronuntiatione plura scitu digna notantur. Nimis tamen inmorari auctor videtur in quibusdam rebus quae alumnorum captui impervia facile erunt aut quae parum cum grammatica scholarum — quae semper breviter ac presse tradenda est — cohaerent.

Syntaxis — praecipua grammaticae pars — brevi ut edatur vehementer expectant lectores et alumni.

GR. MARTINEZ CABELLO, C. M. F. — *De arte metrica latina*, Cocala, Madrid, 1945, 300 p., 25'50 ptas.

Qui metricam latinam colunt in eaque incumbunt quandam quasi encyclopaediam in hoc volumine reperient. Omnia quae ad metricam latinam aliquo modo spectant late pertractantur: pedes, versus eorumque genera, accentus, licentiae, toni musicales pedum ac versuum, strophae, hymni ecclesiastici, metrica artificia, cet.: exempla afferuntur copiosa et longiora.

Opus Professoribus certe commendandum, alumnis vero — quibus auctor

dicat atque ediscendum tradit — prolixius forte erit quippe et alia pertractat parum opportuna.

Quae de anacrusi, de basi de quibusdam caesuris ab optimis scriptoribus traditur doctrina, displicet auctori, cujus tamen argumenta probabilia non videntur. Loquendi genus saepius hispanicam linguam redolet in verbis, quae phraseologica seu redundantia appellantur, in deponentium usu, in vocabulis, quae parum cum latinitate consonare videntur. Praeterea de bibliographia quaedam opera omnino expungenda. Ceterum opus, duobus altis libris complendum, commodo et utilitati magistris esse potest.

C. LERMINAUX. — *Grammaire latine*, Ad. Wesmael - Charlier, Namur, 1945, 277 p.

Professores Instituti Sancti Joseph probatam grammaticam graecam edidicerunt, nunc et latinam aggressi sunt atque vulgarunt. In hoc volumine classicae latinitatis grammatica continetur. In morphologia — seposita praeceptorum copia in tradendis nominum generibus ac praeteritis et supinis — doctrina de formatione et usu nominum, de consonantium mutatione in praeteritis et supinis, de legibus phoneticis praebetur; in tertia declinatione divisio in parisyllaba et imparisyllaba rejicitur atque sufficitur divisio in radicalia consonantia, radicalia in -i finita et mixta declinatio. Syntaxis vestigia insequitur grammaticae graecae a Dno. Planque exaratae. Praecepta clare ac presse traduntur, exempla opportuna ac breviter abundant, notisque plura enucleantur; ordo pariter, quo digeritur opus, optimus ac perspicuus semper. Vere probabilis auctor ejusque grammatica.

J. M. TRISTANIUS, C. M. F.

Choza disfruta su lenta vejez con su prole!
Sigue él su hatillo de ovejas y el hijo corderos...
Tibio baño prepara al cansado la esposa,
Oh si lograra mi frente el nevar de las canas,
Para contar, cuando anciano, de tiempos pasados!
Mientras, cultive los campos la paz. La paz candida,
Para que arasen, guió bajo el yugo a los bueyes,
Hizo a las vides fecundas, dió zumo a las uvas
Porque manase la vieja tinaja paterna
Vino a los hijos. En tiempos de paz reja y laya
Brilla y la herrumbre al soldado las armas corroe...
Ven a nosotros, oh paz, y trayendo manojos de espigas
vierte del cándido seno dulcísimos frutos...

MARIANO MOLINA, C. M. P.

A una fuente

(HORAT., *Od.* III, 13)

Clara más que el cristal, fuente Bandusia,
de dulces vinos y de flores digna;
mañana he de inmolar en honor tuyo
un cabritillo cuya frente hinchan

los incipientes cuernos, que a peleas
y al impulso amoroso le destinan.
En vano: ha de teñir tus frías ondas
su sangre, herencia de la grey lasciva.

No consigue alcanzar tu hondo venero
con sus rayos ardientes la Canícula,
y tu frescor a los cansados toros
y a los rebaños vagabundos brindas.

Mas tú serás famosa entre las fuentes,
si yo celebro la copuda encina
que sombrea los cóncavos peñascos
de que fluyen tus aguas, cantarinas.

B. CHAMORRO

Exercitationes Scholares

C. FABRICII PROBITAS

Quondam Pyrrhi medicus ad consulem C. Fabricium litteras misit, quibus se veneno regem necaturum dicebat. Fabricius autem eas litteras ad Pyrrhum remisit iussitque a comitibus sibi cavere. Paucis post diebus, insidiis detectis, Pyrrhus in crucem agi medicum iussit et Fabricio gratis captos bello reddidit. Fabricius vero parem numerum restituit, simul significans se insidiarum indicium, quae in eum agerentur, regis causa non fecisse, sed ne romani viderentur dolis et insidiis summum hostem destruere, neque tamen armis vincere posse.

JOSEPHUS GIRALT, C. M. P.

Barbastr.

Vi. c. alumnus

HONRADFZ DE C. FABRICIO

Habiendo ofrecido los samnitas al cónsul C. Fabricio una considerable cantidad de dinero y habiéndole rogado lo aceptara, dijéronle que lo hacían porque se daban cuenta de que faltaban muchas cosas para el esplendor y magnificencia de su casa, y de que el aparato exterior suyo no correspondía ni a su posición ni a su dignidad. Dícese que entonces Fabricio se llevó las manos abiertas de las orejas a los ojos y después seguidamente a la nariz, a la boca y a la garganta, y de aquí luego al vientre, y respondiendo a los samnitas; dijo que mientras pudiera resistir y dominar a todos aquellos miembros que había tocado, nunca le faltaría nada, y por esto no quería aceptar de manos de aquéllos, a quienes él sabía bien les hacía falta, aquel dinero que él no necesitaba.

MARIANUS MARTIN, C. M. P.

Barbastr.

Vi. c. alumnus

DE CONIURATIONE L. CATILINAE

Cum Pompejus Nicopoli cum Mithridate pugnaret, parum abfuit quin Roma propter Catilinae coniurationem in exitium verteretur. Catilina erat senator qui in proscriptionibus Sullae ceteros saevitia praestitit; congregavit catervam omnium scelestorum atque flagitiosorum, quos, postquam blanditiis allexisset, seduxit; consilium cepit consules et fere omnes senatores perdere, urbem urere et ea perturbatione Roma potiri. Cethegum, Lentulum, Manlium et ceteros, quorum promptam audaciam cognoverat, urbem accendere iussit. Quae cum ita essent, Marcus Tullius Cicero, homo novus, consul est factus. Statim momentum esse arduum vidit et quattuor orationes habuit, quas omnes nunc demiramur. Prima in senatu habita est sexto idus novembres anno sexagesimo tertio ante Christum natum, secunda quinto idus novembres, tertia tertio nonas decembres, quarta nonis decembris; ex quibus orationibus Catilina ab urbe egredi coactus est. Quicum bellum parasset, seque vidisset montibus, copiisque hostium clausum, cum Antonio confligere statuit. Sallustius mortem Catilinae his verbis refert:

«Catilina, postquam fusas copias, seque cum paucis relictum videt, memor generis atque pristinae suae dignitatis, in confertissimos hostes incurrit, ibique pugans confoditur». Supplicium sectatorum Catilinae in carcere, Tulliano appellato, perfectum est. Ibi Lentulus, Cethegus, Statilius, Gabinus et Ceparius interfecti sunt. Quorum mortem, fracta gula laqueo, Cicero maxime frequentiae populi hoc verbo communicavit: «Vixerunt»

ISIDORUS GARCÍA, C. M. P.

Barbastr.

Vi. c. alumnus